Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Collatio locorum de consolatione

Melanchthon, Philipp

Vvitenbergae, 1549

Loci Philosophicae Consolationis.

urn:nbn:de:bsz:31-61720

Visual Library

COLLATIO LOCORVM DE CONSOLATIONE ex Philosophia & doctrina Christiana, Philippi Melanthonis. Anno 1548.

Loci Philosophicæ Consolationis.

Primus.

Necessitas. Cum mutari factum nō potest, & dolori & indignatiōi indulgemus, duplicamus malum, non lenimus, sicut dicitur. Necessitati parendum est.

Secundus.

Dignitas uirtutis, id est, non ita frangatur animus dolore, ut contra iusticiam aut alias

as uirtutes facias, ut multi dolore succum bentes, abrumpunt uitam, ut Cato, Brutus & cete.

Tertius.

Bona conscientia. Quando foris oppressit hominem pœna, & intus mens conscia sibi scelerum laceratur diuinis terroribus, & alijs cruciatibus, ut fit in homicidis & omnibus qui sciunt se sua culpa accersiuisse calamitates, dolor duplicatur.

Econtra. Est aliquid magnis crimen abesse malis. Multo minor est dolor, cũ mens est tranquilla & cogitat se habuisse sui consilij honestam & necessariam causam, & talem esse humanæ naturæ infirmitatem, ut sæpe non respondeant bonis consilijs euentus, ac uirtutem esse, etiamsi nõ respondent euentus, tamen rectas sententias & rectam uoluntatẽ retinere. Hęc animi rectitudo & tranquillitas, magna euatio est cruciatuum. Deinde etiamsi lerrore lapsi præbuimus causam ærumnis nostris, tamen sine scelere, doloris est mitigatio, quia a summis malis absumus.

Quartus

Quartus.

Exempla: Cum uidemus totum genus humanum in magnis miseriis esse, & multos sapientia, uirtute & potentia præstantes oppressos esse tristissimis casibus, Herculem, Achillem, Palamedẽ, Miltiadem, Themistoclem, Pompeium, Cæsarem & alios innumerabiles, exempla de æqualitate & iusticia admonent, cum talis sit totius generis humani infirmitas, iniustũ esse appetere inæqualitatem & nolle ferre cõmunia onera, quæ alij ferũt. Nõ es fortior aut honestior Cyro, nec es sapientior Cyro, nec es sapientior Palamede, aut Themistocle, nec melius de tua patria meritus, quam isti de Græcia. Cum igitur isti cõmunes miserias tulerint, cur nos accusamus naturam cum similia patimur?

Quintus.

Collatio euentuum. Cum semper bonis mala mixta sint, fortassis plus mali fuisset in contrario euentu, si uicisset Pompeius, maior cõfusio erat futura Reipub.

Talibus argumentis utcunq; flectitur animꝰ ut tolerare aduersa discat, & cũ conscientia non est saucia, uidet se aliquã tulum a summis abesse malis. Sed hæ Philosophicæ consolationes tantum minore cruciatu sepeliunt hominem, non ostendunt exitum aut liberationem.

Ideo opponendæ sunt consolationes, quæ in Ecclesia traduntur, quæ etiam auxilium & liberationem proponũt, & de causis calamitatum aliter nos erudiunt. Priores autem tituli in consolationibus, quas Ecclesia proponit, conueniunt cum titulis Philosophicis, sed maiores res complectuntur.

LOCI CONSOLATIONVM VT in Ecclesia traduntur.

Primus.

NEcessitas, intueatur non solum immutabilitatem, ut apud Philosophos, sed uoluntatẽ Dei, de qua utrũq; statuendum est, & creaturas omnes obedientiam

Deo